SPECIMEN

INTERPRETANDI PLATONIS DIALOGI QVI CRITO INSCRIBITVR

QVOD

AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS AVCTORITATE

IN AVDITORIO MAIORI

PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI

SVBMITTIT

ABRAHAM GOTTLIEB RAABE

BERNSTADIO - LVSATVS

PHILOSOPHIAE ARTIVMQVE MAGISTER

ASSVMTO SOCIO

CHRISTOPH GOTTFRIED SAMVEL KOENIG

MEFFERSDORF. LVSAT.

THEOLOG. CVLT.



D. XXI SEPTEMB. MDCCXCI.

LIPSIAE

EX OFFICINA PEZOLDIANA.



Si quis ſcriptorem interpretandi in ſe ſuſcipit negotium: neceſſe eſt, vt, quo melius illud gerat, conſilium, cui deſtinata ſit interpretatio, perſpiciat atque indicet. Mea quidem Platonis dialogi interpretandi ratio nec ad viros doctos, cum litterarum copiis iam ornati ſint, nec ad tirones, cum ad eos in ſermonis graeci elementis erudiendos libri Platonis non pertineant, ſpectare poteſt, ſed ad eos iuuenes, qui non ſolum linguae graecae peritiores, verum etiam a philoſophiae ſtudio plane non alieni ſunt, certe ab eo non abhorreant. Interpres, ſi ſuo munere vult recte fungi, h. e. ſi facere hoc conatur, vt, quae auctor et ſenſit et cogitauit, eadem ſentiat cogitetque alter, in quo cernitur vis atque natura interpretationis, reſpicere debet ad verba vel dictionem, qua vſus eſt Plato, ad res, quae ab eo propoſitae ſunt, et ad rationem ac modum, quo res tractantur; ex quibus orietur triplex interpretandi ratio, interpretatio grammatica, philoſophica, et, quae vocatur, αἰσθητικὴ. Cui muneri vt ſatisfaciam, omnem operam, quam quidem Fiſcheri noſtri V. C. labor inprimis in grammatica interpretatione leuiorem reddidit, pro virium mearum mediocritate nauabo.



Colloqvivm est, nisi vehementer fallor, *mutuus quorundam hominum sermo, quo ea, quae iam sentiunt, cogitant et volunt, declarantur* *). Colloquium ergo, siue Dialogvs, vt dicitur, in sensu artis, siue Dialogus scriptus, est imitatio colloquii familiaris ac vulgaris, siue accuratius: *repraesentatio actionis cuiusdam, orationis ope, nunc coram per mutuum quorundam hominum sermonem contingentis* **). Scriptor si actionem praeteritam describit, quibus modis talis paulatim exorta est, *narrationem* componit, si autem repraesentat atque exhibet actionem in praesenti contingentem, *dialogum* facit. Quod discrimen positum est partim, vt modo indicaui, in rei tractandae natura atque indole; quod enim narratur, id iam praeterlapsum est, quod autem in dialogo tractatur, id iam fit, et nunc demum esse incipit; partim in forma, qua libellus scriptus exstat, in narratione enim loquitur scriptor, in dialogo autem homines ipsi loquuntur et agunt. Actio praesens si ad mentem

*) Quos animi motus: sentire, cogitare et velle, vt breuiter summatimque dicam, nominare licebit actionem h. e. seriem rerum nunc in animo contingentium; quod non multum differt ab illa Aristotelis definitione lib. Poët. c. VI. vbi dicit: πρᾶξιν esse σύνθεσιν τῶν πραγμάτων (die Handlung ist eine Reihe von Begebenheiten oder Veränderungen) cum qua consentit *Engel*, V. C. „Handlung ist dann, wenn wir „eine Veränderung durch die Thä„tigkeit eines Wesens werden sehen, „das mit Absicht wirkt.“ cf. Prof. *Engels* Abhandlung: Viber Handlung, Gespräch und Erzählung; in der Neuen Biblioth. der schönen Wiss. XVI. Band. p 191. und *Lessing:* Vom Wesen der Fabel, p. 146.

**) *Diogenes Laërtius* dialogum definire studuit L. III. §. 32. Ἔστι διάλογος λόγος ἐξ ἐρωτήσεως καὶ ἀποκρίσεως συγκείμενος περί τινος τῶν φιλοσοφουμένων καὶ πολιτικῶν, μετὰ τῆς πρεπούσης ἠθοποιΐας τῶν παραλαμβανομένων προσώπων, καὶ τῆς κατὰ τὴν λέξιν κατασκευῆς, sed in his verbis potius descriptio, quam definitio reperitur, cum, quod iam *Sigonius* in libello de Dialogo, tom. VI. opp. p. 443. reprehendit, et genus et differentia specifica desint.

mentem ſolam ſpectat, h. e. ſi in mente et per mentem tantummodo fiunt res earumque mutationes, efficit *Dialogum philoſophicum*, ſi autem actio ſimul et potiſſimum ad externam hominis conditionem pertinet, oritur *Dialogus ſcenicus*, ein dramatiſcher Dialog *). Datur et tertium dialogorum genus e philoſophicis et ſcenicis mixtum, *Dialogus philoſophicoſcenicus*, ein philoſophiſchdramatiſcher Dialog **), vbi res quidem in animo contingunt, ſed vna ad externam hominum conditionem multum pertinent, vbi mutata hominis indole externa hominis conditio mutatur ***). Et ad hoc tertium dialogorum genus Platonis dialogus, qui inſcribitur Crito, pertinere mihi videtur.

In hoc dialogo praeſentes exhibentur actiones, tanquam nunc Socrati et Critoni contingentes; imitatur Plato illud colloquium Socratis et Critonis, repraeſentat illam illorum virorum diſſertationem in cuſtodia inſtitutam, quare Sigonius ****) non male dialogum nominauit diſſertationis dialecticae effigiem. Vnde et illud colloquium Socratis atque Critonis in cuſtodia inſtitutum vt Platonici dialogi *fabula* ſpectari poteſt. Actio, cum dialogus ſit philoſophicus, in mente contingit, hinc notiones, opiniones, disquiſitio de quadam re; Crito nimirum, quae nunc de ſorte Socratis cogitat, profert, quae autem, cum etiam dialogus ſit ſcenicus, ſimul pertinent ad externam conditionem ita, vt Socrati ſuadeat, vt e cuſtodia effugiat; Socrates ſuam de eadem re pro-

 ſert

*) cf. Prof. *Engels* Abhandl. p. 203. 204.

**) cf. *Engels* Abhandl. p. 224-226.

***) Hinc illa dialogorum diuiſio apud Diogen. Laërt. III. §. 32. in *δραματικὰς*, *διηγηματικὰς* et *μικτὰς*, cum in dialogo res praeteritae non narrentur, ſed res primum oriantur, mihi non probatur; quod et Diogenes, vt verba ſequentia docent, ipſe ſenſiſſe videtur.

****) cf. *Sigonii* libellus de Dialogo, tom. VI. oper. p. 471.



fert ſententiam negans, ſe poſſe e cuſtodia effugere; Crito rogat, vt ſibi obtemperet, ſententiamque argumentis confirmare ſtudet; Socrates argumentis illius refutatis ſua profert, fugam nimirum iuſtitiae repugnare ciuitatisque legibus, ſe potius rei publicae legibus obedire, adeoque ipſam mortem ſubire debere. Quae ſunt omnes actiones in mente nunc contingentes, quarum vna alteram produxit, quarum vna ſublata altera adeſſe non poteſt, quae autem ad externam conditionem id conferunt, vt in cuſtodia maneat mortemque ſubeat ipſam.

In quibus ſimul Svccessvm Actionis, virtutem dialogo neceſſariam, conſpicimus, qui in hoc poſitus eſt: vt videamus actiones ex antecedentibus haud interrupte oriri, priores ſequi poſteriores; vt perſpiciamus, quomodo vna notio alteram producat, vna enuntiatio alteram aut tollat aut ſuſcipiat; vt omnem videamus viam, qua colloquentes ad hanc illamve rem ſententiamque venerint. In dialogis philoſophicis, ad quos Platonis plurimi referendi ſunt, ſucceſſus actionis ſimul eſt progreſſus disquiſitionis (Fortgang der Handlung iſt Fortgang in der Unterſuchung.) Actionis ſucceſſum et noſtro in dialogo reperiri, nemo negabit. Omnis actionum ſeries bene cohaeret ita, vt altera ſublata altera ſtare nequeat, (quod quidem Ciceroni minus proceſſit) *) vna ſententia alteram facile protulit, omnisque disquiſitio nulla re, ab inſtituto atque conſilio plane aliena, perturbata eſt. Crito, ſummo mane Socratem in cuſtodia adiens eique annuntians **), mox ipſi eſſe moriendum, ſuadet e cuſtodia effugiendum (cap. I. et II.), haec proferens argumenta: ſe infelicem fore erepto amico, inque malam venturum eſſe opinionem apud populum, ac ſi eum ſeruare potuiſſet, niſi auarus fuiſſet atque negligens.

Plebis

*) cf. *Engels* Abhandl. p. 217. 218.

**) Quae eſt totius dialogi ſumma atque οἰκονομία.

Plebis opinionem non esse respiciendam respondet Socrates, quod autem, cum vulgus homines infelices reddere possit, negatur a Critone, ab illo autem denuo affirmatur. (c. III.) Fortasse, o Socrates, nobis times, ne, si hinc euaseris, nos tui causa puniamur. Sed te liberare nostrum est officium, neque etiam multum pecuniae est, quo te seruare volunt. Nec haec metuas, quo tunc te vertas, quocunque enim veneris, te complectentur, et amici mei in Thessalia habitantes te lubentissime excipient. (c. IV.) Nisi tu effugias, tuum officium ipse negligere mihi videris, quia te liberosque tuos prodis. Totum hoc tuum negotium ne insigni nostra ignauia factum esse videatur, nobis obtemperes quaeso. (c. V.) Consilium studiumque tuum, respondet Socrates, probandum est, si ratione nitatur, semper enim hanc, neque vero opinionem fortunamque secutus sum. (c. VI.) Opinionem autem sapientum, non plebis esse respiciendam, iam vita communis docet, v. c. qui in corporis exercitationibus versatur, non omnium, sed magistri opinionem spectat, quod etiam in nostra causa spectandum est (c. VII.) ita, vt, si nobis recte consulere velimus, vnam veritatem respiciamus, (c. VIII.) vtrum iustum sit, hinc effugere, nec ne, quam rem copiosius nunc consideremus. (c. IX.) Iniuriam inferre nullo modo licitum est atque honestum, neque vltro inferre, neque adeo ei, qui iniuste prior nobis intulerit iniuriam, referre, nam iniuriam inferre est nihil aliud, quam aliis damnum afferre aliosque violare. (c. X.) Equidem igitur violo ciuitatem, si promissis non sto, promisi autem legibus obedientiam. Vbi ergo in leges insurgo iisque inuitis effugio: debilito earum auctoritatem, et violo sic vniuersam rem publicam. (c. XI.) Leges responderent ipsae: tu, Socrates, ipse nobis promisisti, nobis te velle obedire; ciuitas tibi permulta tribuit emolumenta, vitam nimirum, educationem ac institutionem, quo facto tu es noster filius idemque seruus, hinc tibi etiam non paria com-

petunt



petunt iura, immo nobis es obnoxius; accedit, quod patria parentibus ipsis augustior est, cui inde omnis omni in re obedientia praestanda est, quam quidem monere, atque, si quis ab ea laesus esse videatur, corrigere, neque vero vim ei leges transgrediendo afferre licet. (c. XII.) Cuique ciui liberum est, ciuitatem antea cognoscere, et, si ei displiceat, ex ea, quocunque vult, migrare, qui autem manet, assiduitate sua probare videtur rei publicae rationem ac normam, eumque se huius legibus obseruandis obstrinxisse censemus; atque eum, qui non paruerit, triplicem tunc inferre iniuriam, quod nobis parentibus non obtemperat, nobis educatricibus non obsequitur, denique promissis non stat, neque nos, si errasse videamur, edocet. (c. XIII.) Cui crimini tu, o Socrates, pergerent leges, prae caeteris obnoxius es, quia nostram ciuitatem prae caeteris probasse visus es, semper enim in ea commoratus es, vxorem in matrimonium duxisti liberosque genuisti. Ipso in iudicio emigrationem tibi eligere poteras, id quod tunc tibi licitum erat, nunc autem prohibitum est, et nunc, vt ipse promisisti, obedire debes. Quod si recusas, temere agis, nam antea rem publicam cognoscere potuisti; semper eam aliis praetulisti; (c. XIV.) amicos tuos in periculum adducis; vbique vt legum corruptor contemtam vitam deges; te reum declarabis suppliciumque commeruisse; molestiam tibi afferes; honesti homines te deuitabunt; de iis disserere, de quibus antea apud nos dicere consueuisti, amplius non poteris; Thessali adeo, pessimi homines, te contemnent, quia, cum tibi seni tempus vivendi admodum paruum supersit, leges transgressus es; denique liberorum tuorum causa vitam seruare non debes, quia amici tui eorum curam certissime gerent. (c. XV.) Obtemperes igitur nobis, o Socrates, melior enim vita, si effugeris, tibi neque hic, neque apud inferos contingit; leges apud inferos, nostrae sorores, te male excipient. (c. XVI.) Haec sunt, Crito, quae mihi de

re

re incidenti videntur. Si quid habes, quod contra dicas, eloquere, ſin minus, deſine, immo iuſtitiae viam, quam Deus monſtrat, ingrediamur. (c. XVII.)

Ex quo actionis ſucceſſu apparebit, dialogo etiam ineſſe VNITATEM ACTIONIS, quae conſtat in rerum mutationumque effectarum vnitate *), ſiue planius in illa re et mutatione vna, quam omnes antecedentes effecerunt, in illa actione palmaria, ad quam, vt ad totum, omnes aliae actiones, vt partes, pertinent. Actio haec palmaria, quae colloquio et disquiſitione effecta eſt, in his cernitur: cuſtodiam non eſſe deſerendam inuitis rei publicae legibus, cum ſit iniuſtum, ſed iis eſſe obediendum, adeoque iuſſu ciuitatis mortem ſubeundam, vno verbo: *obedientiam legibus eſſe praeſtandam* **). Cui ſententiae Crito demum aſſentitur verbis huius dialogi poſtremis, quo conſilium, quod Socrates omni diſputatione conſequi voluerat, nunc conſecutus eſt. Edocuit nimirum Critonem, iniuſtum eſſe ei obtemperare atque e cuſtodia effugere, ſed potius ciuis eſſe legibus obedire, in quo ſimul cernitur PERFECTIO ACTIONIS, quae tunc eſt, vbi conſilium vltimum, quod ex antecedentibus actionibus elucet, conſecutum et id perfectum eſt, quod perfici debuit ***).

CONSILIVM dialogi duplex ſpectari poteſt, et conſilium Socratis atque Critonis, et conſilium Platonis in hoc Socratisque colloquio

*) cf. *Engels* Abhandl. p. 193 *Sulzers* Theorie der ſchönen Künſte, ſub voce: Einheit. *Eſchenburgs* Entwurf einer Theorie und Literatur der ſchönen Wiſſ. p. 126. §. 5. p. 165. §. 3. p. 217. §. 4. (edit. alt. Berol. 1789.)

**) Cap. XVI. ab initio verba ſunt: πειθόμενος ἡμῖν (ſc. τοῖς νόμοις) eſſe debet Socrates.

***) cf. *Engel.* l. l. p 195. *Sulzer* l. l. ſub voce: Vollkommenheit.



quio imitando aliisque ad perlegendum proposito. Equidem semper putaui, discrimen esse faciendum inter eos, qui colloquium instituant, et inter hos, qui id siue audiant siue legant. Colloquentes nec ad audientem, nec ad legentem, sed ad se tantummodo respiciunt *). Socrates et Crito, cum inter se colloquerentur, ad neminem respiciebant, nec, quia praeter ipsos in custodia nemo aderat, respicere poterant, nisi ad semetipsos. Consilium autem erat, in id, quod Crito voluerat, custodiam scilicet esse deferendam, inquirere, vtrum hoc saluis legibus fieri posset, nec ne, vtrum legibus esset obediendum et mors subeunda, an leges transgrediendae fugaque vita seruanda? Sed aliud consilium Platonis illud colloquium imitantis esse debuit, cum id litteris consignaret memoriaeque demandaret; respiciebat hic ad lectores, quorum caussa potissimum litteris consignabat. Quod igitur Platonis scriptoris fuit consilium, lectoris esse debet VTILITAS. Est autem vtilitas, quam affert dialogus, haec, vt via, qua quisque colloquentium perueniat ad veritatem, neque vero sola veritas comperta (das Resultat der Untersuchung) monstretur. Nostro in dialogo videmus viam, qua Socrates pervenit ad illam sententiam statuendam, ciuitatis legibus esse obediendum: dubia et quae omnino huic sententiae impedimento esse possunt, a Critone proferuntur, sed quomodo superari possint ac debeant ita, vt firma stet sententia, et vt nos quoque hanc probare amplectique velimus, docetur a Socrate; quo fit, vt fere quisque sibi de huius sententiae veritate persuadeat, quo magis ipse perspexerit, qua via haec sit orta. Cum autem hic dialogus simul sit scenicus, siue, vt supra dixi, philosophico-scenicus, hanc quoque percipimus vtilitatem, vt de moribus Socratis rectius iudicare possimus deque eius conditione externa, cur talem se praesti-

*) cf. *Engel* l. l. p. 232. 252. 255.

praeſtiterit, cur non ſibi conſuluerit ipſe, cur vitae, cum diutius viuere potuiſſet, mortem praetulerit; intelligimus nunc, eum vitae prodigum non fuiſſe, ſed, vt ei perſuaſum fuerit, egiſſe, eorum, quae vera eſſe putauerit, conſtantem tenacemque fuiſſe, neque vero pertinacem ac libidinoſum videmus, eum mori maluiſſe, quam ea, quae vera et honeſta eſſe ipſe cognouiſſet, falſa et turpia affirmare; perſpicimus, opinionem atque ſententiam multum valuiſſe ad externam eius conditionem omnemque viuendi agendique rationem, et, vt breuiſſimis dicam, eum ſic egiſſe, quia eum ſic ſenſiſſe atque cogitaſſe elucet. Quibus omnibus lectoris animus incitatur atque mouetur.

Argumenta ordine diſpoſita afferre, perquam difficile eſt in Platone *), quae autem noſtro in dialogo reperiri poſſint, haec, quae ſequuntur, mihi eſſe videntur.

*) cf. *Meiners* Geſchichte des Urſprungs, Fortgangs und Verfalls der Wiſſenſchaften in Griechenland und Rom. Lemgo. 1781. 82. tom. II. p. 705. „Unter allen griechiſchen Weltweiſen „verliert keiner ſo ſehr in Uiberſez„zungen und Auszügen, und alſo „auch in einer allgemeinen Geſchich„te ſeiner vornehmſten Gedanken, als „Plato. Bei ihm ſind Gedanken und „Ausdrücke ſo zuſammengeſchmolzen „und in einander gefügt, daſs man ſie „ſelten ohne Verletzung oder Zerſtö„rung der erſten von einander tren„nen kann. Auch wird der Werth „der Gedanken durch die Schönheit „und den Wohllaut der Sprache ſo „ſehr erhöht, daſs man ihnen ihr „Kleid nicht nehmen kann, ohne daſs „ſie, wie es bei allen groſſen Dich„tern und Rednern geſchieht, faſt „ganz unkenntlich werden, und kaum „dieſelbigen zu ſeyn ſcheinen. Hier„zu kommt noch dieſes, daſs im Plato „diejenigen Gedanken, die ihn von „allen vorhergehenden Weltweiſen am „meiſten unterſcheiden, und die auf „die Denkart folgender Geſchlechter „die meiſten Einflüſse gehabt haben, „die lächerlichſten Irrthümer ſind, und



A. ARGVMENTA CRITONIS.

a cap. III — VI.

I. Officivm mevm est. Nam

a) facio iacturam amicitiae. c. III.

b) facio iacturam famae, in opinionem enim et auaritiae et ignaviae apud populum venio. c. III.

II. Officivm tvvm est. Nam

a) ipse te prodis, cum vita seruari possit. c. V.

b) liberos tuos prodis. c. V.

III. Fvga facile parari potest. Nam

a) argentum, quod, qui te seruare pollicentur, postulant, non multum est. c. IV.

b) ad Sycophantas placandos non magna opus est largitione. c. IV.

c) opes meae tibi adsunt. c. IV.

d) et idem facere plures amici iam parati sunt. c. IV.

e) quocunque te vertas, reperies amicos. c. IV.

B. ARGVMENTA SOCRATIS.

a cap. X — XVII.

Socrates ad res a Critone sibi propositas sic respondet: consilio huic se obtemperare non posse, cum fuga sit *perfidia* ideoque *iniusta*; quod etiam, vt mihi videtur, duplici probatur argumentatione.

FOR-

„dass man hingegen die unzähligen „abgerissenen eben so neuen als wah- „ren Bemerkungen, die durch seine „Schriften zerstreut sind, nicht alle „auffädeln und mittheilen kann.“



FORMVLA I.

Perfidia est iniusta,
Fuga mea est perfidia,
Ergo: Fuga mea est iniusta.

Perfidia, siue fidem frangere, est: promissis non stare. Promisit autem Socrates ciuitati obedientiam; hinc illae voces hoc in dialogo obuiae: ὑπείκειν; ποιητέον, ἃ κελεύει ἡ πόλις τε καὶ ἡ πατρίς. c. XII. ὡμολόγεις καθ' ἡμᾶς πολιτεύεσθαι; ἀποδιδράσκειν παρὰ τὰς ξυνθήκας τε καὶ τὰς ὁμολογίας, καθ' ἃς ἡμῖν ξυνέθου πολιτεύεσθαι; ὡμολόγεις καθ' ἡμᾶς πολιτεύεσθαι; νῦν οὐκ ἐμμένεις τοῖς ὡμολογημένοις. c. XIV. τὰς σαυτοῦ ὁμολογίας τε καὶ ξυνθήκας τὰς πρὸς ἡμᾶς παραβάς. c. XVI. Ergo obedientia debetur:

PATRIAE, vt MATRI, propter bona mihi vt homini tributa. c. XII.
propter a) vitam acceptam.
b) educationem.
c) institutionem.

PATRIAE, vt CIVITATI propter pactum.
Nemo coactus est ad pactum cum ciuitate. c. XIII. Nam:
antea habuit quisque occasionem ciuitatem cognoscendi. c. XII.
postea, si ei displiceat ciuitas, quisque potuit ex ea, vbicunque velit, migrare. c. XIII.
Qui non coactus in ciuitate manet, assiduitate sua ei promittit obedientiam. c. XIII.

Quod crimen perfidiae in me GRAVIVS est, quam in aliis. Nam hanc ciuitatem optimam esse semper iudicaui, quia



a) in hac vrbe semper mansi. c. XIV.

b) in ea vxorem in matrimonium duxi liberosque genui. c. XIV.

Hoc crimen in me TEMERARIVM est. Nam

a) non coactus sum ad pactum cum ciuitate initum. c. XIII.

b) semper ciuitatem caeteris meliorem habui, et tamen eam euertere volo? c. XIV.

c) vitam contemtam et molestam agam. c. XV.

d) me declararem reum. c. XV.

e) liberis meis ita non prospicitur. c. XV.

f) me manet sors non melior, immo peior post mortem. c. XVI.

Hoc crimen perfidiae, quod et grauius, quam in aliis, in me esset atque temerarium, est *iniustum*, quia damnum affert.

FORMVLA II.

Quod nocet, id iniustum est,
Fuga mea nocet,
Ergo: Fuga mea est iniusta.

Iniustum quocunque modo nocere docetur ab ipso Socrate c. X. his verbis: *ἀδικεῖν* non discrepare a *κακῶς ποιεῖν*, quo etiam pertinent haec verba: *κακῶς ποιεῖν* et *κακεργεῖν* c. X. *ἀπολέσαι ξύμπασαν πόλιν* c. XI et XII. *τοὺς νόμους καὶ τὴν πατρίδα ἀπολλύναι* c. XII et XVI. *διαφθεῖραι* c. XIV. *κακὰ ἐργάζεσθαι* c. XVI. Propositio minor sic probatur:

Fuga

Fuga mea nocet:

M i h i

α) *in hac vita*, nam

a) declararem me esse reum. c. XV.

b) vitam agerem contemtam. c. XV.

aa) apud probos, quia leges violaui.

bb) apud pessimos v. c. Thessalos, quia mihi seni paruum tantummodo viuendi tempus superest.

c) vitam agerem molestam, quia amplius de virtute differere non possem. c. XV.

β) *post hanc vitam*, nam puniar in orco propter perfidiam. c. IV. c. XVI.

A m i c i s, qui tanquam fugae auctores poenas luerent certissime. c. XV. et XVI.

P a t r i a e. Vbi enim effugio, leges sperno, auctoritatem eorum debilito ita, vt et alii ad eas transgrediendas eo facilius adducantur omnisque ciuitas inde corruat. c. XII.

Quum M o r v m N o t a t i o n e veluti fonte, e quo omnia ducant originem, inprimis occupatus esse debeat scriptor: Plato iis, vti semper, et in nostro dialogo omnem dedit operam, vt, cum omnibus hominibus quaedam sint propria, cuiusuis animi indolem depingeret. Omnia, quae fiunt, cum cuiusuis colloquentium moribus bene cohaerent et semper conuenire debent, quia actiones spectari possunt vt effectus, quorum causae in cuiusuis moribus et indole positae reperiuntur. Crito affectus erat summa amicitia, hinc et talis per totum dialogum describitur,

 

bitur, vt homo in amicum maxime pius. Pietas autem in amicum periculo obnoxium in eo ſpectabitur, vt periculum aut amoueat imminens, aut ex eo amicum eripiat; hinc et talis a Platone depingitur, vt, cum imminens periculum, ſententiam ſcilicet a iudicibus latam, amovere non poſſet, Socratem morte liberare ita ſtudeat, vt eum e cuſtodia clam educturus ſit. Cum eo maior ſit amicitia, quo minus ſui lucro ſtudeat, immo detrimentum accipiat: et Crito rem omnem familiarem offert, ſeque ipſe exponit periculo haud paruo, maximam nimirum poenam luendi, adeoque ſupplicium patiendi. Videmus, Critonem eſſe occupatiſſimum, et, cum periculum eſſet in mora, quam maxime vrgere Socratem, vt ſtatim, ne tempus praeteriret, ſibi obtemperare cuſtodiamque deſerere velit; videmus, eum non ſolum vitae proſpexiſſe, ſed etiam curaſſe, vnde et vbi viuere poſſet; et. cum Socrates valde dubitaret, fugam eſſe iuſtam, Crito omnes intendit vires, vt ei fugam perſuadeat; hinc, ad animum eius commouendum, liberorum ſuorum educandorum mentionem facit fugamque ei proponit tamquam officium et ſibi et liberis praeſtandum. Sed quia poſtulare non poteſt amicus, vt alter, quae a virtute prorſus abhorreant, agat aut omittat: Crito et ſic deſcribitur a Platone, vt Socratem fugam omnino improbantem ſequatur, ſibique ipſe perſuadeat, fugam fore iniuſtam, et obedientiam reipublicae legibus eſſe praeſtandam.

Saepiſſime autem rei lucem afferre poſſumus, ſi, quae ſunt contraria atque diſſimilia, coniungimus et conſideramus, e qua diſſimilium coniunctione, (Contraſt *) quam et hic apud Platonem in moribus notandis

*) cf. *Home* Grundſätze der Kritik. c. VIII. *Sulzers* Theorie der ſchönen Künſte ſub vocibus: Character et Gegenſatz. *Eſchenburgs* Theorie der ſchönen Wiſſ. p. 23. §. 32.

notandis reperimus, et celerrime et rectissime cuiusuis animum cognoscimus atque mentem. Lentitudo enim Socratis et lenitudo Critonis ardorem collustrant atque fervorem et in dicendo et in agendo, et sic inuicem.

Socrates, quod iam aliunde satis constat, erat vir bonus atque honestus, hinc et talis in dialogo nostro describitur, et quidem nunc vt *ciuis bonus*. Cum autem ciui varia officia sint iniuncta: multis modis bonus esse atque dici poterat. Socrates a Platone laudatur, ratione legum rei publicae habita, vt civis legibus omni modo omnique in re obediens. Obedientiam legibus praestandam omnium maximum censebat esse officium, a quo, cum antea non solum de officiis praecepta tradidisset, sed etiam diligentissime ea servasset, et nunc cum non recessurum, immo vel hoc tempore ei satisfacturum esse cogitari expectarique poterat. Nec cohortatio, nec obsecratio amicissimi Critonis eum ab officio abducere poterant, perseuerabat potius in obedientia patriae eiusque legibus praestanda, nec vxor et liberi, nec melior sors speranda, nec miseria, nec adeo mors ipsa et certissime et iniustissime subeunda eius virtutem labefactare poterant, maluit omnia perdere, adeoque mortem, licet iniustam, pati, quam leges patriae violare turpiterque viuere.

Amborum mores graphice a Platone notati sunt, concertatio amicorum, quorum alter amicitia maxima, alter officio rei publicae praestando ducebatur, tam pulcre depicta est, vt vtroque noster animus moueatur vtrumque amet ac veneretur, et vt nos cum Socrate idem noluisse, idemque cum Critone voluisse putemus.



De genere dicendi nunc tractandum est. Referri potest ad GENVS DICENDI MEDIOCRE dialogus noster, quod genus ad libellos de moribus tractandis aptissimum esse videtur *), cum in iis vulgarem quidem sermonem atque tenuem, vt eo facilius praecepta a discipulo intelligantur, optemus, et desideremus, sed tamen quodammodo ornatum, vt et animus simul alliciatur, delectetur atque moueatur. Omne autem dicendi scribendique genus *sermonem rectum* (reinen und richtigen Ausdruck) postulat, qui cernitur in consensu verborum cum cogitationibus ad loquendi normam, et alias bona dictio vocatur **), quam nostro in dialogo vbique reperimus, vnde et ab omnibus linguae graecae gnaris scriptoribus optimis annumeratus est Plato. Inprimis autem opus est *perspicuitate*, veluti prima virtute, vt recte docuit Quintilianus †), quam magna ex parte efficit rectus sermo ††). Verba in libello nostro ita definite, et res tam clare propositae sunt, vt et verborum occurrentium et rerum propositarum significationem, atque probationis Critonis ac Socratis refutationis sensum atque vim plane intelligamus, et hoc quidem per totum libellum non minus, ac ordinem bene seruatum, vt profecto hic inueniamus, quae de perspicuitate praecipit Quintilianus †††): „propria verba, rectus ordo, non in longum di„lata conclusio, nihil neque desit, neque superfluat. Ita sermo et „doctis probabilis et plenus imperitis erit."

E qui-

*) cf. *Eschenburgs* Theorie der schönen Wiss. p. 279. §. 4. et *Ernesti* Rhetor. § 404.

**) cf. *A. H. Schotts* Theorie der schönen Wiss. tom. I. §. 219—230. (Tubing. 1789) et *Eschenburgs* Theorie der schönen Wiss. p. 281. §. 7 et 8.

†) cf. *Quintil.* institutt. orat. l. VIII. c. 2.

††) cf. *Schotts* Theorie der schönen Wiss. t. I. §. 232.

†††) cf. *Quintilianus* l. l.

E quibus apparet, et de huius dialogi VENVSTATE ATQVE PRAESTANTIA neminem dubitare posse, quicquid enim rectum est atque perfectum, pulcri quid in se habet. Vbi Critonem et Socratem, viros grauissimos, de re maxime graui, qualis est tractatio de officiis rei publicae praestandis, audimus loquentes, quorum sermonibus scientiam nostram augere possumus, aeque praestantiam reperimus, ac in sermonis alacritate venustatem sentimus *). Critonem Socratemque graphice ita depingit Plato, ita inducit loquentes, vt omnia cadant sub oculos, sermone phantasia ita excitatur, vt ipsos fere oculis nostris cernere sermonemque omnem auribus nostris audire putemus. In pulcherrima Critonis et Socratis descriptione quisque legendo audiendove videbit amicitiae ardentissimae picturam, quae eum ita afficiet, vt non modo delectetur, sed etiam animus ad amicitiam excitetur, ad summam obedientiam adducatur, atque adeo iniuriam libentius accipere, quam aliis inferre velit. Et propter pulcram orationis elocutionem dialogus, qui inscribitur Crito, optimis dialogis annumerandus esse videtur et propter res, quae tractantur, cum alias saepe sint subtiles atque argutae, praesertim in iis, in quibus cum sophistis colloquitur auctor, v. c. in Cratylo, Theaeteto, Sophistis, caet: hic autem seuerae, graues maximeque vtiles, non quidem e Platonis ingenio, sed vere e Socratis mente profectae reperiantur. Negari quidem non potest, interdum in Platone reperiri orationis tumorem atque fastum, quare etiam reprensus est a Dionysio Halicarnassensi **), a Longino propter inania verba ***),

 atque

*) cf. *Schotts* Theorie. tom. I. §. 167.

**) cf. *Dionys. Halicarn.* de compos. verbor. VI. 101. et ad Cn. Pompei. 757—760.

***) cf. *Longinus* περὶ ὕψους. c. XIX. pag. 160. et XXXII. pag. 178. edit. Mor.

 

atque a Plutarcho propter verborum lusum *), in quibus Platonem defendere non conamur, sed hoc in dialogo affirmare possumus, eum in his omnibus plane non peccasse. Verba non sunt nimis quaesita, sed eadem, quibus et consuetudo familiaris, quam imitatur dialogus, vsa est, et quae natura rei, de qua tractatur, postulat. Sermo moribus ita accommodatus est, et ita naturalis, vt alia meliora et pulcriora ab iis dici non potuisse videatur. Ὀικονομία ipsa tam pulcre inchoata, quam perbelle absoluta est. Critonem enim de se ipso loquentem inducit, se amicitia obstringi, Socratem, amicum dilectissimum seruare, in opinionem et auaritiae et ignauiae venturum esse, sed haec, cum sint argumenta leuiora, refutantem depinxit Socratem; hinc Critonem grauiora proferre iussit, et quidem ab ipsius Socratis officio petita, Socratem nimirum, ait, et se et liberos reddere miseros; nunc Socratem, cum plura, quibus et mentem corrigeret, et animum moueret, proferre non posset Crito, ista refutantem, et certiora eaque meliora docentem adduxit. In his, quae Socrati de iustitia, de qua pluribus differitur, loquenti tribuuntur ab auctore, est locus totius dialogi pulcerrimus, illa nimirum allegoria, vbi rei publicae leges Socrati fugienti in via opponentes et cum eo loquentes inducuntur a cap. XI — XVII. in qua maxima Platonis ingenii solertia luculentissime apparet. Omnis enim oratio allegoriae ope **) pulcra atque praeclara ita conformatur, vt hac venusta conformatione (feine Wendung) notae res nouae esse videantur, ideoque animus moueatur vehementius. Quae ipsa res est in enuntiationibus notissimis, e quorum numero est illa: legibus esse obediendum.

*) cf. *Plutarchus* (edit. Xyland. tom. II. p. 740.) dicit: Πλάτωνα προσπαίζειν διὰ τῶν ὀνομάτων.

**) cf. *Sulzers* Theorie der schönen Künste, sub voce: Allegorie.

dum. Cum autem rei, vt constat inter omnes, quo magis trita est, eo minus ratio habeatur faciliusque ea negligatur, quod etiam Critoni accidisse videtur, quem latere non poterat, legibus esse obediendum, immo hoc oblitum esse, atque neglexisse apparet: Socrates pro lenitate sua rem illam notissimam in Critonis animum reuocare studet allegoriae ope; quae docendi ratio eo majorem prodit venustatem, quo magis sub sensus cadit leniorque esse videtur, neque vero tristem scholae magistrum indicat. Hoc vnum addere licebit, Platonem, si quis, colloquium hoc re vera non habitum, sed tantum Critoni tributum eiusque nomine insignitum esse, e quibusdam Diogenis Laërtii verbis *) colligeret, *personas aptissimas* consilio suo, quo obedientiam legibus praestandam docere voluerit, elegisse. Si enim Plato praeceptum de obedientia legibus praestanda tradere voluit, Socrati hoc aptissime tribuere poterat, partim quia fuerat omnium tunc sapientissimus, partim quia rem exemplo suo iam confirmauerat; sic et Critonis persona non minus apta esse mihi videtur, tum propter amicitiam erga Socratem ardentissimam **), amicissimus tantummodo homo alteri persuadebit, vt effugiat, eumque hac in re maxime periculosa adiuuabit, tum propter opes, quibus instructus erat Crito ***), quia ad hunc conatum pecunia postulatur, vt non solum alios ad hoc consilium persequendum sibi conciliet, verum etiam, si palam fiat, atque in ius vocetur, luere possit poenam. Sed quae in vniuersum de venustate atque huius dialogi praestantia monui, sufficiant, cum de his omnibus, inprimis de venustate e dialogi compositione et ratione oriunda, in obseruationibus et copiosius, et, vt putem, aptius dici possit.

 MODVS

*) cf. *Diogen. Laërt.* l. II. 60. et III. 36. vbi hoc colloquium Aeschini tribuitur ab Idomeneo.

**) cf. *Diogen. Laërt.* l. II. c. XIII. §. 1.

***) cf. *Xenophon.* Memor. Socr. l. II. c. IX. et *Diogen. Laërt.* l. II. c. IX.



Modus ac ratio, quo ſcriptus exſtat noſter dialogus, eſt, vt dicit Diogenes Laërtius *), χαρακτὴρ ὑφηγητικός. Duplici enim Plato, vt monet Diogenes, vſus eſt tractandi docendique modo, et *disquiſitione*, (χαρακτὴρ ζητητικὸς) vbi non aperte ſententiam indicat, ſed aliis interrogandis aliquanto obſcurius **) intimum animi ſui ſenſum patefacit, vbi ipſe non exponendis his, quae ſentit, ſed interrogando ***) ſententiam ſuam potius expromit, quam exponit; et *expoſitione*, (χαρακτὴρ ὑφηγητικος) vbi aliquis alieno rogatu aperte †), quid de propoſita ſentiat quaeſtione, demonſtrat, quod praeter illos dialogos, qui inſcribuntur Timaeus, Phaedrus, Phaedo, caet. et in noſtro fit. Vt Crito aperte exponit argumenta, quibus fugam commendare ſtudet, ita et Socrates luculenter ſua, quae habet, argumenta Critonis rogatu, vt eſt in fine c. IX. proferens affirmat, conſilio ſuo ſe obtemperare non poſſe, ſed iuſtitiam ſequi indeque in cuſtodia manere, adeo mortem ipſam pati ſe debere. Quo in genere tractandi etiam inueniemus aliam argumentandi rationem ††), ſyllogiſmum nimirum, vt ſchola loquitur, orationem non interruptam, immo perpetuam, (a cap. XII — XVII. eſt ſermo fere continuus) neque, quod fit in illis dialogis, vbi res inquirendo tractatur, acrem et pugnacem, ſed quietum ſermonem atque remiſſum.

Scena Dialogi, ſiue locus, quo res ſit acta, et tempus, quo diſputatio inſtituta ſit, vt in ipſo dialogi veſtibulo indicetur neceſſe eſt. „Huius

*) cf. *Diogen. Laërt.* l. III. §. 49.

**) cf. *Sigonii* libellus de Dialogo. opp. tom. VI. p. 472. 473. et 481.

***) cf. *Aldobrandinus* ad Diog. Laërt. p. 192. edit. Meibom.

†) cf. *Sigonius* l. l. pag. 472. et *Aldobrandinus* l. l.

††) cf. *Sigonius* l. l. p. 472.

„Huius enim praeteritio officii, vt Sigonius praecipit *), incredibile „eſt, quantum ei ſermoni adimat auctoritatis et fidei, vt, cum ea legas, „quae nec temporis, nec loci habeant commemorationem, prorſus vt „ſunt, falſa et ficta eſſe exiſtimes; ſin autem rem cum perſonis, locis, „temporibus conſentire intelligas, mirabiliter iis omnibus, quae dican„tur, quaeque agantur, aſſentiaris.“ Interdum Platonem hoc neglexiſſe, v. c. in Cratylo, idem monet, ſaepe tamen hoc cuſtodiuiſſe, praeter Euthyphronem, Theagem, Lyſidem, et noſtro probatur dialogo. Scena eſt in cuſtodia **) die ante mortem tertia ***), primo diluculo †). Siſtitur Socrates in cuſtodia quiete dormiens, Crito vero lecto aſſidens; Socrates deinde expergefactus amicum, quem ſibi aſſidentem videt, interrogat, vnde tam mane veniat; Crito Socratem, quod ſuam ſortem miſeram aequo ferre poſſit animo, admirans reſpondet, ſe nuntium maxime moleſtum et triſtem afferre, nauem ſcilicet e Delo hodie eſſe venturam, qua reducta ipſi eſſe moriendum; rogat hinc, vt clam e cuſtodia effugiat, quibus verbis tunc ipſa incipit quaeſtio.

CAPVT I ET II.

Duo priora capita dialogi PRAEPARATIONEM continent. Praeparatio autem, vt vocant, ſunt illi ſermones, qui colloquii inſtituendi anſam dederunt, a quibus inde ad hanc illamue quaeſtionem peruenerunt colloquentes. Antiqui ſcriptores, monente Sigonio ††), hanc praeparationem ſiue dialogi initium duxerunt aut α) *ab ipſa re*, vt

*) cf. *Sigonius* de dialogo. p. 458.

**) Quod ex his verbis ſtatim ab initio obuiis apparet: ὅπως ἠθέλησε σοὶ ὁ τῦ δεσμοτηρίυ φύλαξ ὑπακῦσαι.

***) Id quod docent illa ex Homero verba deſumta, c. II. Ἤματί κεν τριτάτῳ Φθίην ἐρίβωλον ἵκοιο.

†) Occurrit ab initio c. I. ὄρθρος βαθύς.

††) cf. *Sigonius* de Dialogo p 461.



vt Plato de legibus, aut β) *a re longe aliena*, v. c. Plato de re publica, aut γ) *a simili re*, vt Plato in Euthyphrone et Phaedone, quibus et Crito adnumerari poterit. *Praeparationem a simili* in hoc positam esse puto, si res, a qua colloquium incipit, colloquentes deducit ad quaestionem quandam coniunctam; si ideae, quae ab initio sermonis in mente sunt, mox alias, illis prioribus affines, excitant, de quibus inde colloquentes vnice et copiose exponunt. Crito custodiam primo diluculo adiens miratur, cur tam quiete dormiret, animi aequabilitatem Socratis *mox* morituri, quae cogitatio: *Socrates mox moriturus* excitat has: te e custodia liberari seruarique nobis sinas, quae cogitationes ad hanc, quae inde sequitur, quaestionem deducunt colloquentes.

Inscriptio Dialogi exstat haec:

Περὶ Πρακτέȣ h. e. *de eo, quod faciendum est* h. e. *de officio.* Πρακτέον enim idem est, quod ποιητέον cap. X. vt et Suidas explicat per haec: δεῖ πράττειν. Sed cum notio officii sit maxime ampla, neque hoc in dialogo de omnibus officiis homini cuique praestandis tractetur, neque ob breuitatem libelli tractari possit: limitanda est notio, quod et illi viri docti senserunt, qui germanice interpretati sunt: von der Bürgerpflicht; sed et haec notio laxior est, cum Plato non de omnibus ciuium officiis, de virtute politica sic dicta agat, ad quam plura (cf. von Lamprechts Versuch eines vollständigen Systems der Staatslehre. Berlin 1784. p. 82—84) pertinent, quam quae hic proferuntur. Equidem ad hoc ciuis officium refero, quo legibus ciuitatis in quacunque re obedire debet, vt adeo iniuria affecto eas transilire non liceat, ergo *ad officium obedientiae legibus rei publicae omni in re adeoque*

iniuria

iniuria accepta habendae; quam quidem notionem verbo inesse totius dialogi argumento firmatur, cum semper redeat sermo huc: quid fieri possit saluis legibus, quid non? Hinc sponte apparet, περὶ πρακτȣ̃ h. e. de eo, quod agitur et fit, de quo autem h. l. non sermo est, sed de eo, quod agendum omittendumve est, veram lectionem esse non posse. Vtrum vero haec inscriptio ab ipso Platone sit profecta, nec ne, haud satis liquet, cum in vtramque partem disputari possit. *Alii negabunt* sic: in multis veterum scriptorum libris aut nullas, aut maxime varias reperiri inscriptiones, hinc a grammaticis profectas esse apparere (cf. Perizon. ad Aelian. V. H. praef. p. 30. Glandorf. ad Pythagor. carm. aur. p. 110—112. et Fischer. ad Anacr. et Palaephat.) idemque esse in Platonis libris, nam occurri simpliciter Κράτυλος apud Athen. II. 1. et Plutarch. t. II. p. 391. in Diogene Laërtio autem l. III. 58. et in aliis libris editis, et ineditis: Κράτυλος, ἢ περὶ ὀνομάτων ὀρθότητος; porro Μένων simpliciter apud Athen. VII. pag. 314. apud Diogenem autem III. §. 59. Μένων, ἢ περὶ ἀρετῆς; adeoque duplicem exstare inscriptionem: Ἴων in Stephani exemplari inscribi Ἴων, ἢ περὶ ποιητικȣ̃ χαρακτῆρος, ἢ περὶ ποιητικῆς ἑρμηνείας, quod etiam nostro in dialogo esse: Κρίτων, ἢ περὶ πρακτέȣ, in aliis libris: ἢ περὶ δόξης ἀληθȣ̃ς καὶ δικαίȣ, in aliis: ἢ περὶ δόξης ἀληθȣ̃ς καὶ δικαιοσύνης. cf. Fischer. ad h. l. *Alii affirmabunt* partim verbis Thrasylli apud Diogenem Laërt. III. §. 57. „διπλαῖς δὲ „χρῆται ταῖς ἐπιγραφαῖς ἑκάστȣ τῶν βιβλίων· τῇ μὲν ἀπὸ τȣ̃ „ὀνόματος· τῇ δὲ ἀπὸ τȣ̃ πράγματος,“ partim exemplo non solum Xenophontis dialogi, qui Hiero inscribitur, vbi etiam verbo adiecto τυραννικὸς, nisi et hoc Diogeni tribuendum sit, argumentum indicatur, sed etiam Ciceronis graecarum litterarum dili-

 

gentissimi imitatoris, qui dialogum de senectute et de amicitia et persona principe et argumento inscripsit. Omnis igitur res in medio relinquetur incomperta.

Ηθικὸς autem non a Platone profectum, sed ex illa Diogenis dialogorum Platonis distributione ac descriptione (vbi moralibus libellis: Apologiae Socratis, Phaedoni, Phaedro, Symposio, Menexeno, Clitophoni, Epistolis, Philebo, Hipparcho, Anterastis etiam Crito adnumeratur) procul dubio ortum esse videtur, quod sic probari potest α) codd. interdum non habent, v. c. in Phaedonis inscriptione deest, cf. Fischer. ad h. l. interdum variant, v. c. in Ione pro πειραστικὸς, quod est in Diogene, legitur in Steph. exempl. λογικὸς; in Philebo pro ἠθικὸς, quod Diogenes habet, reperitur πολιτικὸς; in ipso Diogenis libro lectio non semper est eadem, v. c. Κρίτιας a quibusdam ἠθικὸς, ab aliis πολιτικὸς vocatur. β) superuacaneum est, quia antecedit περὶ πρακτέȣ, ex quo iam sponte apparet, dialogum, cum tractet de officio quodam, ad doctrinam de moribus pertinere. Grammatici igitur, vt partim modum tractandi, partim rei tractandae materiam, partim vtrumque indicarent (de quo vid. Diogen. III. §. 49—51. et Klenkers Werke des Plato. Lemgo 1778. tom. I. praefat. p. 21—28.) haec verba addidisse videntur. Dialogus noster ad secundum genus pertinet, accepit enim nomen propter materiam ad morum doctrinam pertinentem, quamuis et in numerum dialogorum πολιτικῶν referri potuisset.

Τηνικάδε, siue, τηνίκα, vel, quod vsitatius est, τηνικαῦτα; et πηνίκα cum, monente Phrynicho p. 14 certam dici partem indicent,

vbique

vbique e verborum ferie intelligenda funt, vt h. l. fequenti πρῷ fit: τι τηνικάδε: quare tam mane? et πηνίκα quam mane?

ὄρθρος eft *tempus matutinum antelucanum*, Phrynichus pag. 120. τὸ πρὸ ἀρχομένης ἡμέρας, ἐν ᾧ ἔτι λύχνῳ δύναταί τις χρῆσθαι, die Zeit, wo fich Tag und Nacht fcheiden, alias: μήτι ἐπιφωσκούσης ἡμέρας, vel λίαν πρῷ. Et cum prima diei pars hoc tempore inciperet, additur: βαθὺς (de quo cf. Periz. ad Aelian. V. H. VI. p. 6.) quod eft: *primum diluculum*, *fummo mane*, vt etiam, monente Fifchero, occurrit in N. T. Luc. XXIV. 1. Quod tempus (ὄρθρον βαθὺν) fequebatur αὐγὴ f. ἀμφιλύκη νὺξ (die Morgendämmerung) tunc πρώτη ἕω, ὑποφαινούσης ἡμέρας (die Morgenröthe) denique ἥλιος ἀνίσχων f. γενομένη ἡμέρα (der helle Tag.) cf. Potters Archaeol. t. III. p. 65.

δεσμωτήριον. Athenis tres fuerunt carceres, vt e Platone de Legg. l. X. edit. Bip. tom. IX. pag. 114. conftat. Socratem in illum, qui a Platone tertius appellatur, credibile eft coniectum fuiffe vinculisque alligatum, et quidem compedibus, vt e Platonis Phaed. c. III. patet, fed vtrum fuerit χοῖνιξ (h. e. neruus, f. ligna rotunda, in quae pedes, etiam crura, coniiciebantur funibusque conftringebantur, quod in N. T. Actor. XVI. 24. τὸ ξύλον dicitur, et Lutherus bene vertit der Stock.) an πέδη (h. e. pedica, qua crura impediuntur, eine Fufsfchelle, ein Fufseifen.) haud fatis liquet e loco Platonis, de quibus vinculis cf. Potters Archaeol. t. I. p. 269. 270.

ὑπακούειν eft verbum proprium de cuftodiae ianitore, qui fedet ad fores ibique aufcultat, (vt lat. *ab oftio*, f. *ad fores aufcultare* apud

Plaut.



Plaut. Merc. II. IV. 9. Truc. I. 2.) nomina pulsantium quaerit, domino nuntiat, fores aperit et intromittit; sic in Xenoph. Sympos. c. I. §. 11. interdum, quod orationis series monstrat, partem huius muneris indicat, vt praeter Phaed. c. III. et h. l. scil. *intromittere.* Cf. Casaub. ad Theophr. pag. 14. Hemsterh. ad Lucian. t. I. p. 40. Bach. ad Xenoph. Sympos. c. I. et Fischer. ad h. l.

θαυμάζω -- ὑπακοῦσαι. Socrates miratur, quomodo custodiae ianitor Critonem intromiserit, cum alias non tam mane aperiretur custodia, quod e verbis Phaedonis constat c. III. „ἀνεῴγετο γὰρ οὐ πανυ πρῷ." Crito, cur non sit mirum, reddit duas caussas: α) ei iam notus sum, saepius enim huc venio. β) mercedulae aliquid ei dare soleo.

καὶ τοι καὶ, non καὶ τι καὶ veram esse lectionem, docuit ad h. l. Fischerus. Καὶ τοι καὶ habet vim augendae affirmationis ita, vt respondeat lat. *et vero, et vero etiam, atque adeo, et sane etiam,* germanice: *ja was noch mehr; und dann auch noch.*

ἄρτι plerumque significat *nunc demum* i. q. νῦν, sed apud Atticos est: *paulo ante,* vt Möris dicit: ἄρτι· οἱ μεν Αττικοὶ τὸ πρὸ ὀλίγου; Timaeus in glossario: Ἄρτι· πρὸ ὀλίγου χρόνου πεποιημένος, vbi Ruhnken et nostrum laudat locum; opponitur πάλαι, vt Apol. Socrat. c. II. et h. l. et construitur, docente Stephano, cum praesenti, quare sequens ἥκεις pro praeterito sumendum est, vt in Sophocl Aiac. v. 800 et in N. Test. Ioan. Euangel. IX. 8. Marc. VIII. 3.

εἶτα

εἶτα in interrogationibus vel admirationem vel indignationem, vel vtrumque significat, lat. *vero? ſiccine vero? itane vero? nun warum denn? aber warum?* cf. Schol. ad Ariſtoph. Plut. v. 79. ibique Kuſter. et Fiſcher. ad Apol. Socr. c. XVI. a quo non differt κᾆτα vel ἔπειτα c. IV.

ἐπίτηδες ſ. ἐξεπίτηδες. Heſych. ἐπιμελὲς. Suidas: ἐκ σπȣδῆς. ſic in Homer. Odyſ. XV. 28., Xenoph. Cyrop. I. vi. 2.

τρόπος denotat *animi indolem ac mores hominis*, apud nos: *Character*. Nollem de vna tantum animi virtute, *de contemtione mortis* interpretari, et quidem his de cauſis:

α) *propter loca parallea*. In Plat. Phaed. c. II. Socrates potiſſimum his in diebus felix dicitur ab Echecrate τȣ̃ τρόπȣ καὶ λόγων ἕνεκα, h. e. propter omnem animi indolem; nam haec verba, cum reſponſionem Phaedonis complectantur, nihil aliud continere poſſunt, quam quod erat in Echecratis interrogatione ab init. c. II. ſc. τὰ λεχθέντα καὶ πραχθέντα. In Phaed. c. LXV. vndecimvirorum miniſter, vt h. l. Crito, laudat Socratem propter animi indolem ac mores *alias* et *hoc potiſſimum tempore* comprobatos.

β) *vbi Socrates a Xenophonte et Platone,*

a) *laudatur*, ibi ſemper reſpicitur ad *omnem* animi indolem *omnesque* mores, neque vero ad vnam peculiarem virtutem; quod fit in fin. Apol. Socr. apud Xenoph. in Xenoph. Memor. IV. viii. 21. (quo in loco indoles et mores Socratis et breuiſſime et rectiſſime exponuntur) et Plat. Phaed. c. LXV. Ergo et h. l. non propter mortis contemtionem a Platone laudatus fuiſſe videtur.



b) *vbi felix censetur Socrates*, ibi non solum tempus vitae vltimum, sed omnis vita anteacta respicitur, quod de se ipse affirmat ap. Xenoph. Mem. IV. VIII. 7. vt et nostro in loco adest ἐν παντὶ τῷ βίῳ.

Laudatur igitur felixque praedicatur Socrates etiam h. l. propter indolem ac mores per totam vitam, inprimis autem hac in calamitate seruatos. Sensus: *semper te per omnem vitam felicem censui ac praedicaui propter tuam animi indolem tuosque mores, quos nunc luculenter ita probas, vt praesentem calamitatem aequo fortique animo feras.*

συμφορὰ i. q. sequens τύχη παρȣ̃σα scil. *mors*, vt et in Menex. p. 305. edit. Bip. t. V. Et ῥαδίως καὶ πρᾴως φέρειν τὴν παρεσῶσαν ξυμφοράν i. q. in Phaed. c. II. de eadem re Plato habet: ἀδέως καὶ γενναίως τελευτᾷν, siue quod statim sequitur: ȣ̓κ ἀγανακτεῖν, εἰ δεῖ τελευτᾷν, hilari fortique animo mortem pati.

γαρ cum reddat rationem sententiae modo prolatae ideoque nunc omissae (cf. Clark. ad Hom. Il. V. 22. XV. 201. Odyss. II. 276.) e praecedentibus repetendum est: ῥαδίως καὶ πρᾴῳ φέρω.

πλημμελὲς quasi πλὴν μέλος, *inconcinnus*, Hesych. ȣ̔ συνῳδὰ λέγει; hinc est omnino: *vitiosum atque indignum*, vnde Hesych. addit. ἁμαρτάνων et Phavorinus: ἁμαρτικὸν, cf. Ruhnken ad Timaeum. Sensus: *maxime peccarem, si morte commoverer.*

ἀγανακτεῖν Hesych. στένειν παρὰ Πλάτωνι.

τηλικȣτος. Socrates tunc, vt e cap. XIV. constat, septuaginta annos natus erat. Causas, cur Socrates non moueatur morte, reddit Plato duas: α) *propter senectutem* (ἡ ἡλικία h. l. cf. etiam Xenoph. Mem. IV. VIII. 1.) mors non est fugienda neque vita expetenda, senectus enim est maxima molestia, de qua ipse Socrates exponit in Xenoph. Mem. IV. VIII. 8. et in Xenoph. Apol. §. 27. β) *propter innocentiam*, iniuste enim mortem pati cogitur, cf. c. XVI. et Xenoph. Mem. IV. VIII. 9. et nostro in dialogo c. XVI. Eum iam antea a mortis metu vacasse, e proeliis, quae inivit, elucet, cf. Plat. Apol. XVII. Quae autem de morte alias disputauit, his breuiter continentur. Cum corpus animum perturbet eumque impediat, quo minus sapientiae studeat: (Phaed. XXI.) mors, quae est liberatio animi a corpore, (Phaed. IX.) non est metuenda, (Apol. XVII.) immo tanquam maximum bonum (Apol. XXXII.) sapientiae virtutisque studioso expetenda. (Phaed. XI.) Quare et nunc non commouetur. Accedunt praeter illas duas a Platone nostro in dialogo causas allatas et hae: genius meus, vt aiebat (Plat. Apol. XVII. XXXI. XXXVIII.) me non auocauit; mors est aut somnus aeternus idemque dulcis (Apol. XXXII.) nullaque re perturbatus, hinc non extimescenda; aut migratio in locum meliorem, hinc maxime optanda. (Apol. XXXII.) Accedit etiam, quod animus, cum sit immortalis (Phaed. XVIII. LV et Apol. XXXII. ad fin.) propter virtutis studium ad felicissimum locum migrabit. (Phaed. LXII.) Quamobrem aequo animo sententiam capitalem ferebat Socrates (Xenoph. Apol. §. 27.) eodemque animo erat, cum vndecimvirorum minister ei venenum esse bibendum denunciaret, (Phaed. c. LXV.) et sic etiam sui non dissimilis venenum ipsum bibit. (Phaed. LXVI.)



ἐπιλύεσθαι quod pr. est *soluere*, *expedire*, denotat h. l. vt Fischerus docuit, *permittere*, vt sensus sit: *neque tamen senectus sinit eos et iubet, non commoueri morte.*

ἔστι ταῦτα est formula, qua oratio desinit et noua incipit, vt etiam ap. Aeschin. dial. III. §. 13. i. q. alias εἶεν, vt Phaed. c. LXVI. respondet lat. *sunt ista*, vt in Cicer. Quaest. acad. I. c. 3. et de amicit. c. II. Hucusque Plato dixerat: admiratum esse indolem Socratis, inprimis hoc tempore; nunc autem dicit de consilio Critonis, cur tam mane venerit.

ἐν τοῖς βαρύτατα intelligendum est ita: ἐν τοῖς ἐπιτηδείοις, οἱ φέρουσι βαρὺ, αὐτὸς βαρύτατα ἂν ἐνέγκαιμι. cf. Fischer. ad h. l. et ad c. XIV.

τὸ πλοῖον ἐκ Δήλου. Res haec est. Cum Androgeus, Minois II. regis Cretensis filius, Athenis operam daret arti gymnasticae intimaque Thesei amicitia vteretur, Aegeus, Thesei pater idemque rex, suspicione correptus interficiebat Androgeum, quo facto Minos Athenienses oppugnatum veniebat. Sed cum Athenas expugnare non valeret, Iouis auxilium implorabat, vt ab illis poenas sumeret. Iupiter precibus eius annuens caritatem pestemque Athenarum incolis immisit, vt, oraculi responsione, in gratiam cum Minoë redire cogerentur, qui cum illis hac conditione pacem confecit atque discessit, vt quouis anno nono (secundum Diod. Sic. IV. p. 305. anno septimo) septenos pueros totidemque puellas mitterent in Cretam Minotauro deuorandos. Querimonia ciuium eorumque miseria commotus sua sponte Theseus rogabat,

gabat, vt, cum tertium conferre tributum deberent, definito tempore simul ipse mitteretur, atque, si saluus cum caeteris rediret, vouebat quotannis dies festos in honorem Apollinis, Dianae Latonaeque in insula Delo celebrandos. Ipse tunc Minotaurum Ariadna viam monstrante interfecit incolumisque sacris in insula Delo peractis rediit Athenas. Cuius rei in memoriam, qua populares ab isto tributo liberauerat, quotannis deinde mittebant Athenienses in illam insulam legatos, vt Apollini, Dianae Latonaeque sacra facerent, quae legatio dicebatur θεωρία, legati θεωροὶ s. Δηλιασταὶ, eorum dux ἀρχιθέωρος, nauis θεωρὶς s. Δηλιὰς, et qui in Deorum illorum honorem hymnos canebant, χόρος. (die Capelle.) Omne hoc tempus ita sacrum habebatur, vt intra huius temporis spatium nullus supplicio afficeretur, quod tunc, cum pridie, quam Socrates capitis damnatus esset, incepisset, triginta dies durauit, (Xenoph. Memor. IV. VIII. 2.) intra quos Socrates in custodia vinctus supplicio affici non poterat. Cf. Thucyd. III. 104. Diodor. Sicul. IV. p. 305. Plutarch. vit. Thes. Pausan. I. 27. Meursii Theseus cap. XI — XVII. idemque de regibus Atticae l. II. c. XVI. Potters Archaeol. (tom. I. pag. 637. Allgemeine Welthistorie tom. VII. pag. 60.

Σούνιον, cuius et in Theaetet. (t. II. p. 53. ed. Bip.) mentio fit, fuit promontorium Atticae ad insulas Cycladas spectans, cf. Pausan. I. c. 1. prope quod situm erat oppidum eiusdem nominis, templumque Minervae. cf. Homer. Odyss. III. 278. Fortasse ad Sunium mittebantur quidam ab Atheniensibus, vt iis annuntiarent, quo tempore nauis reditura sit, vt illis legatis in vrbem reuertentibus maximum tribuere possent honorem. cf. Eurip. Hyppol. v. 790.



Τύχῃ ἀγαθῇ i. q. τύχῃ θείᾳ h. e. *quod bene feliciterque vertat*, vt Plautus loquitur Aul. IV. x. 57. et: *quod bonum, faustum, felix, fortunatumque sit*, vt Cicero dicit de Divin. I. 45. Sensus: *cum me oporteat Diis confidere et ab iis maxima bona sperare:* (Xenoph. Mem. IV. III. 17.) *mortem, quae instat, non vereor, immo potius vt bonum appeto eamque mihi gratulor.*

ταύτῃ Hesych. ὅτως· τϑτῳ τῷ τρόπῳ.

πϑ est: *scilicet, vt constat*, sic et cap. VIII. cf. Fischer. ad Euthyphr. cap. I.

οἱ κύριοι i. q. in Phaed. cap. II. οἱ ἄρχοντες, et in Apol. c. XXVII. et Phaed. c. III. οἱ ἕνδεκα, erant magistratus, quibus iudicio publice damnati tradebantur, vt captiuos custodiendos ac tempore definito a carnifice supplicio afficiendos curarent, fere iidem, quales apud nos *Schöppen*, s. Blutrichter, apud Anglos, vt Potter opinatur, *Sherifs*, et apud Romanos, vt monet Lipsius ad Tacit. Annal. V. 9. *Triumuiri capitales* (cf. Liv. XI. 23.) E tribu enim, quarum decem erant, legebatur vnus, quibus deinde γραμματεὺς (Gerichtsactuarius, Gerichtsschreiber) addebatur, vnde nomen vndecimvirorum. Cf. Schol. ad Aristoph. Vesp. v. 1103. et Potters Archaeol. t. I. p. 161.

δέ γέ τοι δὴ h. e. *certe quidem.*

ἐνύπνιον. Grammaticos discrimen hac in re fecisse patet e Macrobii commentar. in somn. Scip. I. c. 3. vbi quinque somniandi genera appel-

appellantur: ὄνειρος, ὅραμα, χρηματισμὸς, ἐνύπνιον, φάντασμα, quod autem discrimen esse nullum, docet ipse locus noster, quo secundum illam diuisionem Plato ponere debuisset χρηματισμὸν, quia χρηματισμὸς e mente Macrobii est: „cum in somniis pa„rens, vel alia *sancta persona et grauis* seu sacerdos, vel etiam „deus *aperte euentum quid* aut non euenturum, faciendum vitan„dumve denuntiat.“ Socratem autem saepius somniasse, ipse dicit in Phaed. c. IV. eiusdemque rei exemplum exstat apud Diog. Laërt. III. 7. Opinabatur enim Socrates, deos hominibus futura ostendere auguriis, ominibus, signis, immolationibus (cf. Xenoph. Mem. I. III. §. 3 et 19. et IV. III. §. 12.) quibus et somnia adnumerari possunt, vnde ea, quae per somnia percepisset, vera certissimeque euentura esse putabat, quare et nunc propter hoc somnium sperat fore, vt ipsi tertia abhinc die sit moriendum.

ὀλίγον πρότερον. His verbis additis indicatur, somnium illud Socratem habuisse *post noctem mediam*, alias enim essent superuacanea. Somniis autem post noctem mediam (cf. Hom. Odyss. IV. 842. et Horat. I. Sat. X. 31—34.) magnam habebant veteres et recentiores Graeci (cf. Guys literarische Reise nach Griechenland t. I. p. 155.) fidem ita, vt ea a Diis ipsis profecta esse, futura praedicere, et verum certissimumque habitura esse euentum sibi persuaderent. cf. Potters Archaeol. t. I. p. 672—690. Sed res non mira esse, immo naturae conueniens intelligi posse mihi videtur, cum, quae ante noctem mediam videmus per somnium, plerumque spectent ad res die praeterlapso iam peractas, ideoque nobis notissimas, ea autem, quae post mediam noctem videmus, oriantur e mente perpetuo in somno cogitante semperque res, saepe

 nouas

 

nouas (quod et fit, vbi non dormimus) interdum et futuras considerante.

καὶ κινδυνεύεις -- με h. e. *et videris mihi perquam opportune me e somno non excitasse; bene egisti, quod me non excitasti e somno, vbi finem meae vitae perspicere potui.* Nam τις nominibus eleganter additum habet vim intendendi (cf. Zeune ad Xen. Cyrop. I. IV. 27. et Fischer. ad Aeschin. indic.) ita, vt ἐν καιρῷ τινὶ sit i. q. Phaed. LXIII. ἐν τινὶ χρόνῳ h. e. *tempore admodum opportuno.*

ἐδόκει. Eadem muliebris species futuri quid annuntians occurrit in Tacit. Annal. XI. 21. et in Sueton. vit. Claud. c. I.

καλὸς καὶ εὐειδής. Καλὸς indicat oris pulcritudinem, vt Xen. Memor. II. VI. 30. et Ἐυειδὴς formae totius venustatem, hinc Hesych. in voce εὐειδέα· εὔμορφα, sic et Xen. Mem. III. XI. 4. Cum personae in somniis homini apparentes diuinae esse crederentur, describuntur etiam ita, vt quoad speciem multum discriminis esset inter semetipsas et inter homines, vt loquente Plinio VII. Epist. 27. haberent: *propriam figuram.* Hinc in illo Cyri somnio in Xen. Cyrop. VIII. 7. occurrit: κρέιττων τις ἢ κατ᾽ ἄνθρωπον. in Dione Cass. LV. 1. γυνὴ γαρ τις μείζων, ἢ κατ᾽ ἀνθρώπȣ φύσιν; in Sueton. vit. Claud. c. I. species muliebris *humana amplior;* in Tacit. Annal. XI. 21. species muliebris *vltra modum humanum;* in Plin. VII. Ep. 27. muliebris figura *humana grandior pulchriorque,* vt et h. l. καλὴ καὶ εὐειδής. Tribuuntur iis etiam, vt et h. l:

λευκά

λευκὰ ἱμάτια (λευκὸν i. q. λαμπρὸν interprete Hesychio) cum candoris calor semper fuerit symbolum gratiae, venustatis, innocentiae, laetitiae et felicitatis, quod fortasse ex eo ortum duxit, quia homini vestibus candidis amicto maior venustas eaque magis naturalis inesse videtur, quam ei, qui varii coloris vestimento indutus sit. Hinc vestimentis candidis indutae describuntur tales personae vt h. l. ita et in Plin. VII. Epist. 27. „venerunt per fenestras in „tunicis albis duo.“ et in N. Test. Matth. XXVIII. 3. coll. Marc. XVI. 5. et Ioan. XX. 12.

ἤματι -- ἵκοιο. Verba haec desumta sunt ex illo sermone apud Homer. Il. IX. 307 — 430. cum Vlysse instituto. Vlysses enim a vers. 225 — 307. conatus erat inter Achillem et Agamemnonem pristinam restituere amicitiam, cui autem Achilles v. 307 — 430. respondet, se cum Agamemnone amicitiam restituere nolle, sed rediturum esse in patriam vrbemque Phthiam, quo tertia abhinc die se venturum esse speret. Quae vrbs patria ab Homero nuncupatur Ερίβωλος quod est 1) *valde glebosus*; ἐρι in compositis indicat multitudinem, Hesych. ἐρι· πολὺ, μέγα, ἰσχυρὸν. cf. Schol. min. ad Homer. Il. X. 305. Rittershus. ad Oppian. pag. 2. et Fischer ad Weller. p. 289. vnde Schol. ad Il. XXI. 154. explicauit per: μεγαλόβωλος. 2) *pinguis* Hesych. ἔυγειος i. q. ἔυγαιος; hinc 3) *fertilis* vt h. l. Quod Achillis dictum ad se ita applicat Socrates, vt sensus sit: *vt Achilles apud Homerum tertia die in Phthiam fertilissimam, patriam suam, se rediturum esse sperabat, ita et tu, Socrates, tertia abhinc die in locum beatorum, patriam tuam, peruenies.* Hoc autem loco 1) patriam Socratis intelligi debere 2) eamque esse locum post mortem beatissimum, apparebit luculenter

 a) *ex*



a) *ex ipsa comparatione.* In Homeri loco ſub Phthia intelligitur patria, nam v. 363. dicitur Φθίην ἱκοίμην, pro quo v. 393. eſt οἴκαδ' ἵκωμαι, coll. v. 428. Ergo et locus, quo venturus ſit Socrates, talis eſſe debet, quales fuit Achillis. Hanc patriam vero eſſe locum poſt mortem beatiſſimum patet b) *e Socratis doctrina.* Animus enim interire non poterat (Phaed. c. XXVIII.), ſed migrat in locum eximium, purum, re vera, vt ipſe dicit (in Phaed. c. XXIX.), ad bonum ſapientemque Deum; ibi eſt igitur patria ibique ſemper habitat animus, hac in terra non manet, vita hic agenda eſt peregrinatio (cf. Aeſchin. dial. III. 3. παρεπιδημία τις ἐστιν ὁ βίος, et in Apol. Platon. c. XXXII. μεταβολὴ καὶ μετοίκησις τῆς ψυχῆς, paulo poſt: ἀποδημῆσαι εἰς ἄλλον τόπον) in meliorem locum, vbi tunc, tanquam in patria ſemper manebit. Quamuis alii, quos lege apud Fiſcher. ad h. l. aliter explicuerint: haec tamen noſtra ſententia ſatis firmata eſſe videtur.

ἄτοπον reſpondet lat. *ineptum*, Heſych. ξενὸν; hinc omne, quod eſt *abſonum*, *inauditum*, *nouum*, *mirabile*, Suidas: θαυμάσιον, παράδοξον, ἀνυπονόητον οἷον, ὃ μὴ ἐστὶ τοπάσαι, et ſic h. l. *ſomnium plane inſolens et mirabile*, ein ganz ſonderbarer Traum. Quam in rem laudandus eſt libellus: Von den Viſionen und Ahndungen. Leipzig. 1777. Somnia, Cicerone iam monente de Divin. II. 60 et 71. non tam ἄτοπα eſſe videntur; cauſae enim, quae ſomnium efficiunt, reperiuntur modo in corpore; (cf. lib. laud. pag. 216.) modo in cuiusvis natura propria ſ. temperamento ſic dicto; (cf. l. l. p. 223—226.) modo ſola in mente ita, vt ea, quae antea cogitauerit, nunc in ſomno aut perſequatur, aut denuo repetat, (cf. l. l. pag. 221.) quod iam Claudianus docet in praefat. ad l. III. de raptu Proſerp.

„Omnia



„Omnia quae ſenſu voluuntur vota diurno,
„Pectore ſopito reddit amica quies.
„Fundo gaudet amans, permutat nauita merces,
„Et vigil lapſas quaerit auarus opes.“

Cum autem cauſas ſemper non perſpiciamus, ſaepius ἄτοπα eſſe poſſunt; quare aſſentior Vnzeri dicto: „die ganze Lehre von Ge„ſpenſtern, Geſichtern und Erſcheinungen iſt in der Weltweis„heit als ein unbekanntes Land anzuſehen, worinn man weder „Beweiſe noch Widerlegungen ſuchen darf.“ cf. D. Vnzers Sammlung kleiner Schriften. t: II. pag. 443. Hoc autem Socratis ſomnium non tam ἄτοπον dici, immo potius naturaliter explicari poſſe mihi videtur. Socrates non ignorabat, ſibi eſſe moriendum; de morte cogitabat ſermonesque de morte animique immortalitate inſtituebat. Inter has cogitationes obdormiuit, et nunc in ſomno, vbi phantaſia omnes ideas et imagines, quas antea habuit, non raro reuocat, viſum ei apparet eique verſum hunc ex Homero acclamat. Diem, quo ipſi eſſet moriendum, non tam remotum aut ipſe, aut ab aliis ſcire poterat. Hinc, cum Homerum praecipue amauerit, facile in mentem ei venire poterat fortuna Achillis, (ipſius quodammodo ſimilis) qui etiam mox in locum meliorem ſe venturum eſſe dicebat, et quidem ille verſus, quem die praeterlapſo fortaſſe ſaepius recitauerat, quare eum nunc in ſomno recitare audit. Eodem modo illud Bruti memorabile viſum apud Plutarch. vit. Bruti. c. LII. et Flor. IV. 7. explicari poteſt, vt et Caſſius ibi fecit.

ἐναργές. Heſych. ἐναργῆ· δῆλα, φανερά, βέβαια, ἀσφαλῆ. Suidas: φανερόν, et Etymol. M. σαφὲς καὶ πρὸ ὀφθαλμῶν. Somnium ἐναργὲς eſt illud, *cuius praedictio ita patet, vt facile intelli-*



intelligatur. Veteres enim putabant, somnium, in quo persona alba veste induta appareret, bonum esse. cf. Hippocrat. libellus peculiaris de insomniis t. I. sect. IV. pag. 44—49. edit. Foes. et quidem p. 48. Plures libellos somnia explicantes nominauit auctor libri: Von den Visionen und Ahndungen, p. 230—239.

Quam si scenam ipsam propius consideramus, pulcherrimam esse dicemus. Amicissimus Crito venit ad Socratem amicum et praeceptorem primo diluculo primumque diei negotium duxit; pecuniam dat ianitori, vt sese intromittat; inuenit Socratem quiete dormientem, quae imago cuiusque dormientis habet fere semper pulchri quid, cum nobis hominem ostendat hoc tempore felicem; accedit, quod Socrates, quamuis mox moriturus, quiete dormit; Crito dormientem non excitat, vt somno dulci quam longissime fruatur amicus; Socrates autem malit se citius excitatum. De eo, quod Crito refert, nauem eodem die redituram ideoque cras sibi moriendum esse, non mouetur, immo huncce diem sibi gratulatur ipse; sed cur die sequenti sibi non esse moriendum existimet, coniicit e somnio quodam proxima nocte viso, quod inde narratur. Quae omnia ita sunt comparata, vt lectoris animum et afficiant et magnopere delectent.